

rectas eduxeris lineas in centro Cometæ confluentes, easq̃
 ultra porrexeris, donec ad duo puncta primi mobilis desinant,
 nam quæ à centro mundi egreditur, & si prius q̃ Cometam
 offendat, inferior sit, reliqua de centro uisus exeunte, tamen ul-
 tra Cometam euadentes eas mutatis intelliges uicibus. Quæ
 res picturæ officio comodius lucubrabit. Sit circulus $A B C D$,
 uice orbis magni, cuius respectu moles terræ insensibilis acci-
 pitur, super centroq̃ eius q̃d sit E , circulus maximus in Sphæ-
 ra terræ describatur, duobus characteribus H , & L , represen-
 tandus, sitq̃ H , tanq̃ centrum uisus in superficie terræ, exten-
 sa demum $E H$, semidiametro terræ utrinq̃, donec occurret
 circumferentiæ circuli $A B C D$, in duobus punctis A , quidem
 sublimiori, D , autem humiliori, erit A , punctus uertici capitis
 suprapositus, statuaturq̃ centrum Cometæ extra diametrum,
 $A D$, in puncto G , & ducantur duæ rectæ à notis E , & H , per
 ipsum G , punctū occursum ambitui circuli memorati in pun-
 ctis B & C , erit itaq̃ B , locus uerus Cometæ ppinquior pun-
 ctō A , q̃ C , locus uisus eiusdem. Quod si statuissimus Come-
 tam in $A D$, diametro, nemini dubium uideretur, locum uerū
 eius à loco uiso non differre. Cæterum si educatur semidiamete-
 ter $E K$, æquedistans lineæ $H G$, punctus K , insensibiliter à
 puncto C , remouebitur, q̃ totam terram apud orbem $A B C D$
 puncti uicem obtinere subiectum sit, quemadmodum Ptole-
 mæus etiam in quinto magnæ compilationis suæ circa diuer-
 sitatē aspectus lunæ ratiotinatus est, unde non iniuria duorum
 punctorum C , & K , alterum pro altero sumere licebit, & quic
 centrum Cometæ punctum C , præoccupet oculo in H , existen-
 ti, non tamen nisi punctus K , consideratori per instrumentū
 innotescit, nam angulus $A H C$, instrumenti officio deprehen-
 sus, æquatur angulo $A E K$, cuius cum uertex in centro circuli,
 $A B C D$, quiescat, eius ad quatuor rectos proportio cognita,
 ipsius arcus respectu totius circūferentiæ rationem latere non
 sinet. Est autem punctus A , positione datus, quamobrem et
 punctus K , positionem habebit notam, punctum autem C ,
 quic

28307 III 9